Bibliothèque numérique

medic@

Belet, Guillaume - candidat / Pietre, Nicolas - président. - An paralysi sudorifica ?

1619.
Paris
Cote : ms 74 n°589

PARIS biu santé

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x03x0589

ILLVSTRISSIMO VIRO D. D. IOANNI LESCALOPIERIO REGI A SECRETIS ET CONSILIIS INTERIORIBVS, ATQVE IN SVPREMA PRINCIPIS SENATVS CVRIA PRÆSIDI INTEGERRIMO,

GVLIELMVS BELET ἰατρόφιλος S. P.

CHIRONEM ab opifera Manu dictum, Lyricen Thebanus (PRÆSES PRÆSTANTISSIME) *vocat* εὐεργετίδα χεῖρ' εὐεργετοῦντα Κρόνου, Saturnigenam, Iouis & Dices fratrem, σοφία τέκτονος ἀναδυομένας, educatorem Æſculapij autoris reparatoriſque Sanitatis integræ: *Maximus verò Tyrius eundem* ἰατρικώτατον καὶ δικαιότατον, *Medicorum Principem ac iuſtiſſimum indigitat: quippe cum Semideo* ἀμφὶ νοῦν ἔχοντι ἀνδρῶν φίλον*, labor vnus eſſet, vt canit Statius,* Noſſe ſalutiferas dubiis animantibus herbas, Aut monſtrare lyra veteres Heroas alumnis: *vt Achilles apud Euripidem, præter alia munera corpori ſalutifera, animi quoque egregia ornamenta, candidos probosq; mores, Chironis* εὐσεβείας *accepta ferat, his verbis,* ἐγὼ δ' ἐν ἀνδρὸς εὐσεβεστάτου τραφεὶς Χείρωνος ἔμαθον τοὺς τρόπους ἁπλοῦς ἔχειν. *Hinc quanta ſit cognatio & affinitas inter diuinam potentiam, Iuſtitiam Politicámve ſcientiam, & Medicinæ Artem facile colligi poteſt. Eapropter hæc Chironia* ζητήματα*, quaſi* μακροχρονίας τοῖς προσδοκῶσιν ὑποθήματα *ſeu* ἀλεξιφάρμακα *in* ἰατρικῷ ἀκροατηρίῳ *exagitanda, oppugnanda, propugnandaque ſunt, Tibi* PRÆSES ILLVSTRISSIME ET ÆQVISSIME*, dicanda & tanquam tutelæ & clientelæ tuæ committenda iure merito exiſtimaui; tum ad hoc me cohortante auunculo meo Fed. Morello Profeſſorum Reg. Decano laudum tuarum virtutumque fido Præcone: tum quod profeſſioni huic Pæoniæ fauere ſemper ſoleas,* ἐς κλυτὸν Παιήονος κῦδος. *Inde* altis gaudens datur aggredienda facultas*, vt* ἰατρικὸν *Papinius celebrat. Te præſente animos medicata in bella petemus, dum* τὰ τῆς ἀξιώματός σε σεμνὸν ἄγαλμα, Iudicium, vireſque nouas, animumque miniſtrat. *Viue Valeque diu* προέδρων φιλομουσότατε.

QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS SEPTIMA MARTII, MAGISTRO NICOLAO PIETRE DOCTORE MEDICO MODERATORE.

589

An Paralyſi ſudorifica?

OMNES neruorum affectus conuulſionis & paralyſis ambitu continentur: illa contenduntur nerui ſummo cum doloris cruciatu, hac relaxantur nullo doloris ſenſu: aduerſi omnino hi duo affectus cohærent quandoque, vnàque exiſtunt: huius vt & illius cauſa multiplex, atque illa eſt morbus, ſimilaris, organicus, communis. Paralyſim ſæpius parit obſtructio familiaris neruis, vt qui laxiore ſint ſubſtantia cerebri conſimili. Conferti nerui humore calido frigidoue, tenui vel craſſo, non admittunt animalem ſpiritum, quo vno vigent; vnde languent illi, quin & torpent eæ partes, in quas diſtribuuntur, vt nec mouere nec moueri queant, quandoque etiam ſentire non poſſint. Accedit & accidit paralyſi ἀναισθησία, vt illa propriè priuatio ſit motus voluntarij, cuius participes partes duntaxat reſoluuntur, putà nerui duri, molleſue, muſculi, quæ prima & præcipua ſunt motus voluntarij inſtrumenta.

QVI paralyſim committit humor, prodit è cerebro, quandoque è viſceribus, ſæpius è venis. Cerebrum tenuioris & ſeroſi humoris fons eſt vberrimus, is excurrens per varias corporis partes innumeros morbos eoſque graues procreat, conuulſionem, paralyſim, aſthma, febrem, lienteriam, arthritidem: non leuiores profert in ventriculis cerebri conſiſtens; hos enim ſi intercludat, oboriuntur apoplexia & epilepſia, graues adeo affectus, vt ægros peſſumdent. An non illa paralyſis cenſenda? quidni; cum motum vnaque ſenſum omnino adimat, adeoque corpus vniuerſum reſoluat, vt talis ſit in vniuerſo corpore apoplexia, qualis eſt in dimidio ἡμιπληγία, in ſingulis partibus παραπληξία! Meſenterium viſcerum quaſi ſentina eſt, graue illud excrementis deponit quandoque onus in lumborum neruos ex quibus producitur, vnde incidit paralyſis, quam fere antecedunt diri ventris cruciatus colici doloris æmuli: vt & hi viciſſim paralyſim conſequuntur, bilis quaſi æſtu reciproco. Venæ adiacent neruis, vt ſi quando illæ impuro turgeant ſanguine, quaſi nauſeabundæ in propinquos neruos eum euomant. Sua quoque nerui impertiunt venis vitia; conuulſio ſoluitur liberali vrina, vt facilis ſit venarum & neruorum ſympathia.

SVDORIFICA, quæ perhibentur guaiacum, ſaſafras, & alia innumera, calore excellunt, & tenuitate partium pollent ſingulari; adeoque colliquandi vim obtinent, vt coaguli vice fungantur, cuius vi craſſior lactis pars coaleſcit in caſeum, tenuis & ſeroſa effluit: fundunt ſiquidem ſanguinem ſoluuntque in ſerum, & quod in ſanguine craſſum eſt cogunt & denſant, vt illa non ſint alia ab vreticis: ſane ſudoris & vrinæ eadem materia, idem generationis modus. An vt vretica vberem ſeri copiam progignunt, vrinam verò non cient: ſic quæ habentur idrotica ſudori duntaxat materiam abundè ſuppeditant, ſudorem non mouent? Guaiaci quidem liberali etiam potu ſudor nunquam prodiret, ni ille vaporariis & corporis operimentis prouocaretur. Atque vt vretica tophaceis concretionibus (quæ fiunt in renibus & veſica) diluendis nocent plurimùm: ſic idrotica illa vulgaria eo quo præſtant calore ſoluendis obſtructionibus omnino aduerſantur.

SVDOREM promouent, quæ foris ſummum corporis habitum calefaciunt, vnàque cutem ſoluunt & relaxant, putà è calda fotus, foculi in lectum ſtragulis munitiſſimum & arte arcuatum immiſſi. At his non eſt ſudor temerè ciendus, exoluit ille vires, exhaurit corpora, nec enim erumpit modo ſerum ſuperfluum, prodit vnà ſuccus alimentarius, nonnihil etiam ſubſtantiæ ſolidarum partium effluit: languida ſudore natura morbi curationem ſuſcipere, aut ſuſceptam abſoluere nequit, vt longo tempore morbus moretur, vel breui ſit rediturus: ſæpius noxij humoris nihil exprimitur, accenduntur duntaxat ſpiritus, inflammantur humores, concitantur, vnde febres, catarrhi mouentur. Sudori longè præſtat ἐφίδρωσις, & ea quidem in iſchiade, paraplegia, cæteriſque partium affectibus, ἀραιωτικοῖς tentanda, vt ſine virium diſpendio & corporis perturbatione, vel ſenſim exudet inutilis humor, vel ſine ſenſu expiret.

PARALYSIS curatio haud adeo difficilis, ſi maturè, opportunè, nec aliena adhibeantur remedia. Ergo parte recèns reſolutâ, vix dum inſidente neruo humore, inſtitutâ victus ratione quæ contemperet, quam primùm corpus exhauriendum eſt clyſtere frequenti, detractione ſanguinis interuallis repetita, purgatione crebra, ſed blandâ. Hâc arte æſtu humoris compoſito, tempeſtiuè obſtructio reſerabitur ecphracticis, eccatharticis, quibus qui neruum occupat humor in halitum ſolutus expirabit: demum expeditus neruus firmabitur adſtringentibus quibus minimum caloris inſit. Ἐκφρακτικοῖς molientur & humoris qui obſtructionem continet, iuuabunt excretionem, medicamenta cùm foris admouenda, tùm intus ſumenda, quæ temperie non adeo calida prædita tenuiorem ſunt ſortita conſiſtentiam. Expiratio procurabitur reſolutæ partis fotu, motu, frictionibus, quæ & ad robur parti conciliandum longè ſuperant balſami etiam Peruuiani vires. Nerualia vulgò dicta calidiora, theriaca, mithridatium, aqua vini ſtillatitia, vretica, idrotica præcipue chymica, verè fuſoria & colliquantia, aliena ſunt & paralyſis curationi omnino aduerſa remedia, vt iis fiat illa contumacior, aut prorſus incurabilis.

36

Non ergo paralyſi ſudorifica.

Propugnabat Lutetiæ GVLIELMVS BELET Pariſinus, Anno R.S.H. M.DCXIX.

R.I.P. [stamp]